Opuscula

ATLAS
Fractum Orbem Polonum
SUSTENTANS,
D. MICHAEL GIEDROYC,
Ordinis S. MARIÆ Demetri, de Vrbe, Fratrum de Pœnitentia BB. Martyrum, ſub Regula D. AVGVSTINI militantium,

CANONICVS,

Admirandâ vitæ Sanctitate & miraculorum gloriâ

CLARVS,

Cracoviæ ad Sacras D. MARCI Evangeliſtæ Ædes,

Recurrente Solenni ejus die,

In Frequentiſsima Illuſtrium & Eruditorum Hoſpitum Corona,

A

NICOLAO FRANCISCO de Biberztyn BŁONSKI,

In Alma Univerſitate Cracovienſi Curſûs Philoſophici Auditore.


Devotâ Nomini & Honori Sacro, de Roſtris Panegyri,

DEMONSTRATUS.

ANNO, quo ATLAS Cæleſtis ut lapſum Genus humanũ erigeret, de Virgineo Utero in Orbẽ prodijt, M. D. CC. XIII. Die verò 4tâ Maij.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
UJEYSCIORUM.



Dicite quæ fuerant, vel quæ sunt flumina mundi?
Flumine Nativo, nobiliora TUO.
Amnibus auriferis, ditantur stagna Lydorum;
Gaudent Eridanô, sidera clara Poli.
Ast plùs Sarmatici, lætantur climata Regni;
Sanguine perfuso, Stemmatis amne Tui.

ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,

D. CHRISTOPHORO
DE RUPNIOW
UJEYSKI,
D. TUTORI & BENEFACTORI
Amplissimo.

HEròem *DIVINUM, ATLANEM Sarmaticum D. MICHAELEM GIEDROYC, quibus concredere deberem Penatibus, cùm diu in animo meo recogitarem; tandem stativa eidem in Tua Nobilissima & Heroicis operibus toti Lechico Septemtrioni Clarissima Domo, obsequenti pennâ meâ inscribo. ILLUSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE. Fracti Poloni Orbis bajulus ATLAS, non potuit meliùs in alias venire manus, quā in manus Christophori, idest CHRISTUM semper ferentis. Meruisti hoc debitum gratitudinis à me pensum, qui me in tutelam, dicere debueram, in Paternum Tuæ gratiæ & protectionis receptum sinum, amplissimis beneficiorum Tuorum accumulare muneribus non desinis. Ex GENTILITIO TUO SZRENIAVA, tanquam ex septem ostijs latèpatentis Nili, indeficienti alveo copiosi gratiarum torrentes in me immeritum Tuum Clientem derivantur. Commodum est ROSÆ GIEDROYCIANÆ, quòd secus Tuum Eridanum, à me plantetur; Tuis nempè GENTILITIIS conspersa undis hoc florigerò Majo pulchriùs revirescet. Assimilem Nobilissimam FAMILIAM TUAM, DUCALI PRINCIPIS GIEDROYCII DOMUI dicere justum est, quæ sicut in tota virtutum magnarum congerie GIEDROYCII, ita in innata illi mentis modestia hæreditat. Humilis, Magnus ATLAS PRINCEPS GIEDROYCIUS, etiam ultro sibi à Lucina oblatum DUCALE DIADEMA aspernatur; Præclaræ DOMUI TUÆ maximos Honorum tàm in Ecclesiastica Hierarchia, quàm in Republica promeritorū fásces infra se ponere, quasi hæreditarium est. Non retinere etenim, sed mereri Dignitatum Insignia, vos consuevistis. Clarum istius enitet documentum in ILLUSTRISSIMO quondam & REVERENDISSIMO DOMINO THOMA UIEYSKI, EPISCOPO Chijoviensi, ABBATE Plocensi, PRÆPOSITO & CANONICO Varmiensi, FRATRE TUO patrueli dilectissimo. Vir hic juxta cor DEI, Athenas in Parnasso JAGELLONICO in se transtulit, & totas animò suo complexus, ubiq; Os aureum Divæ Themidis, & Magnorum PRINCIPUM Oraculum quoddam dici meruerat. Nempè ob suam comitatem, morum gravitatem, miram in rebus difficillimis gerendis dexteritatem, etiam Coronatis Capitibus, SERENISSIMIS JOANNI CASIMIRO, MICHAELI I. JOANNI III. POLONIARUM REGIBUS, ad mentem fuerat. Quidni esse debuerat? qui sub tempus fatalis Regno Sarmatico procellæ, metuendæ rebellionis Cosaticæ sub Theodoro Chmielnicki, Phœbò Illò Polonò extinctò VLADISLAO III. POLONIARUM REGE, in componendis illis sat difficillimis motibus, magnam sui prudentiam*

exhi-

exhibuit. Majorem adhuc tunc monstravit, cùm ad exemplum D. MICHAELIS GIEDROYC *depositâ de emerita sua fronte Præsuleâ Tiarâ, & Senatoriò murice, ex Societate fallentis mundi, in Societatem JESU transiens, Sanctæ IGNATII Militiæ nomen suum inscripsit. Hâc Appiâ virtutum & singularis modestiæ processit* PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMUS DOMINUS STANISLAUS VIETSKI, *Decanus & Canonicus Varmiensis, &c.* FRATER *Tuus Germanus charissimus, pietatis memorandum exemplar. Eruditum Prælati hujus Dignissimi Caput, ipsius Palladis dulce triclinium, petebant Præsuleæ Infulæ, in manus ejus Aquilæ Regni involare anhelabant, & quævis Honorum maximorum Insignia ultrò ejus piam mentem ambiebant, sed ambire non potuerunt; quia nullus Dignitatum in Eo ambitus, omnis modestia inveniebatur. Quid de Te tenuis, in venerationem tamen Tuam composita penna mea exarabit?* ILLUSTRIS *ac* MAGNIFICE DOMINE. GENTILITIUS *Tuus Pactolus Magno* RUPNIOVSCIORUM, MALICCIORUM, SZEMBECCIORUM, KOTKOVSCIORUM, KOSSOVSCIORUM, WITKOVSCIORUM, CHRZASTOVSCIORUM, ZIELENSCIORUM, WĘGIERSCIORUM, *aliarumq; cognatarum* FAMILIARũ *Sãguine auctus, quòd aureas Patriæ non tam arenas, quàm horas vehat, & maximam victricium palmarum ubertatem, in Sarmaticis campis quos inundat germinet; maxima quoq; Honorum in Republica ornamenta & coronamenta meruit. Insignis & Phœbeâ luce clarior* NOBILISSIMÆ PROSAPIÆ TUÆ *accessit splendor ex* ILLUSTRIBUS GAWRONSCIIS, WASOVIIS, ZBOROVSCIIS. *Magna hæc Lechici Poli sidera, cùm in Domo Tua Inclyta, per connubialia fœdera conjunctionem inière; virtutibus & meritis suis Orbi Polono notis, meridiem Tibi &* FAMILIÆ TUÆ ILLUSTRISSIMÆ *accendere. Tu verò* ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE *aurum auro & lucem luci addidisti, cùm Magnis Domûs Tuæ decoribus, Cedrò immortali digna opera adjunxisti. Hæc, simul & Tua virtus in Toga & Sago probata, in tot arduis pro Patria in Gradivi arenâ susceptis laboribus experta, insignes meruerunt Dignitates; Tu nihilominus modestissimæ mentis Idæa eas acceptare recusasti, rectefactorum Tuorum Remuneratorem* DEUM *solùm exoptando. His Herculeis passibus in Olympijs virtutum incedunt Castor & Pollux, gemina Nobilissimæ Domûs Tuæ Astra,* STANISLAUS & CHRISTOPHORUS Filij Tui, *quorum egregia merita Patria magni æstimat, semperq; æstimabit. Sed cùm generis Aviti & virtutum Tuarum amplitudinem angusta hæc pagina capere nequit: inops verborum Eloquentia intra magnæ Domûs Tuæ lares, Gratissimũ nonisi Hospitem,* ATLANTEM *Sarmaticum, Principem infert* GIEDROYCIUM. *Ab obærrato pectore meo suscipe hoc submissæ venerationis Xenium; eo affectu, quo me semper prosequeris.* ATLAS *hic Polonus, etiam antiquissimam Domum* TUAM *robustis in annos æviternos sustentet lacertis: Teq; felicissimum, & diu incolumem mihi conservet. Ita & nunc precor & semper vovebo*

Illustris & Magnificæ Dominationis Vestræ

Amantissimus Nepos,

&

Devinctissimus Cliens

Nicolaus Franciscus de Biberztyn
BŁONSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Cursûs Philosophici
Auditor.

ORATIO.

TErreâ hâc iniquiorum temporum viciſſitudine, dum in noſtrum Polono Sarmaticum Orbem curioſam verto pupillã; eũ ingenti concatenatorum malorũ preſſum mole, & ſub tantis ponderibus Siſyphi ſaxo gravioribus fractum, fatiſcentemq; adverto. A. A. In ea deploranda miſeri Lechiadæ incidimus tempora, quibus ſi mala quæ nos premunt, cum antiquorum ſæculorum infortunijs compararemus, priſca tempora, genteſq; duris laceratas bellis vel ſolis calamitatibus ſuperare videremur. Obſidebatur arte Pelaſgâ Ilium, ſed per decẽnium tantum. Nos afflicti Sarmatæ pluribus annis, à tot gentium immani & metuenda colluvie ſtringimur, & earum ferocibus armis perſtringimur, poſt tot tamen ſonoras ingentium malorum procellas, & ſtridentes noxij belli Aquilones, nondum optata habere poſſumus alcyonia. Sinonio doló Troja cum ſuperba Priami arce voraci ceſſit in prædam vulcano. Gementis Sarmatiæ noſtræ Urbes Oppida, Arces, propugnacula, ſortes deniq; noſtras, ferox immitis Gradivi abſumpſit incendium, veſtigiaq; tãtùm ſolis in favillis reliquit. Miſera Carthago armato gentis Quirinæ diu cincta exercitu, cùm multâ obſidione ad eam deducta fuerit inopiam ut & ad trahendas naves funes deeſſent, & plumbum ex bel-

licis adversùs hostes explodendum machinis deside-raretur; Carthaginenses Amazones ut funibus, sup-peditarent materiam, proprij capitis abscindere co-mam, & ad globos conficiendos, aurea jam de ma-nibus, jam de auribus detrahere monilia, ultroq; su-is offerre Ducibus nō dedignatæ erāt. Nos ut ferrea tempora in aurea transmutaremus, etiam aurum ho-stibus offerre non renuimus, nec optato votorum nostrorum eventu gaudere potuimus. Gentium ter-rarumq; caput Roma, etsi multas nationes adversus se consurgentes, & plurimos rebelles Catilinas Cethe-gosq; toties numeraverit, cadere tamen nequaquam potuerat, quia fortissimos Hercules suæ integritatis molem bajulantes in animosis Camillis, Manlijs, Af-fricanis, Marijs nacta erat. Noster Sarmaticus Or-bis, etsi multos suos Scipiones habeat, irriguis tamen lacrhymarum imbribus infelicem suam sortem nun-quam satis deplorare valet, quòd infausto diu protra-cti belli turbine agitatus, plusquam decumanis malis fractus, ad deformem vergens ruinam, in hoc suo declivio non ab omnibus fulciatur. In Generalibus Regni Comitijs, ab Augusto Lechici Senatûs Areo-pago, cadenti Orbi Nostro Polono, adamantinas sani Consilij bases sollicitis expectabamus desiderijs, sed has proh dolor? infelix discordium animorum turbo, imò pacis quæsitæ turbator sustulit, & tanto multarum ærumnarum gravatum pondere Orbem Polonum labefactavit. Quis tandem sic labenti suc-curret? quis cadentem proprijs eriget lacertis? & ab imminenti ultimo casu immunem securumque reddet? in Te nostrorum spes certa votorum, pre-tiosa Lithvaniæ Ducum Gemma, Rosee olim Prin-ceps, nunc ad Thronum Agni immaculati Magne Senator, Augusta Divi Augustini Propago D. MI-CHAEL GIEDROYCI. Hic certè Divinis pe-ne Angelicæ vitæ virtutibus fortissimus, & Magnis

meritis coram Alto Numine potentissimus est. Unde in Illo hodie ATLANTEM ad sustentandum fractum Orbem Polonum Aptissimum umbratilis eloquij mei suada demonstrabit. Magne Sarmatice ATLAS me imbrecillem Tuis laudibus intentum ne ingenti Tuorum meritorum gravatus pondere corruam: potenti Tuâ gratiâ sustenta. Quidquid de Te dicam magnificum erit quia Tuum. Quàm ingens sit & robustus ATLAS MICHAEL, & quàm grandis virtutum Ejus Ilias, si contemplari ornatissime Auditor desideras, oculos benevolæ & attentæ mentis ad incultæ suadæ meæ umbratilem imaginem verte.

Si ex angusto pollice grandem gigantem: si ex tenui linea magnum Apellis ingenium metiri licet, etiam quanta ATLANTIS GIEDROYCII fractum Polonum Orbem sustentantis, vel in ipsis infantilibus cunis, & tenellis adhuc artubus appareat magnitudo: colligamus AA. Immensæ prodigium illud molis, sub nullo unquam onere fatiscentem Atlantem, ex ipsis Deorum cunabulis suam primævam traxisse originem, ingeniosa suis commentis narrat antiquitas. Poloni Gestatorem Poli GIEDROYCIUM veriùs ex Divûm genere, quia præcelsis Natalibus prodire, quis non novit? DUCALEM GIEDROYCIORUM Domum, non tantùm Lithvanum Orbem sed & vicinas exoticorum Regnorum famâ suâ adimplentem oras, propter immensum Prædecessorum numerum, Generis Antiquissimi claritatem gestorum Auro cedroq; dignorum multitudinem Pantheon quoddam augustum, & venerandum Deorum senaculum appellare fas esto. Non in tot vastû Amaltheæ cornu delicata Floræ & Pomonæ munera, niveæ Nympharum manus congesssère, quot rutilantes Principum Mitras, Regales Purpuras, Ducales Clavas, Sacras Tiaras, cæteraq; insignium ho-

norum decora, in unam GIEDROYCIORUM propitij superi congregavêre Prosapiam. Quot in fastis immortalibus viri ex hac ILLUSTRISSIMA FAMILIA à ventura posteritate legentur, tot Magni Joves, facundi Mercurij, invicti Alcidæ, dicam breviùs tot non fatiscentes sub pondere etiam maximo ATLANTES numerabuntur. Centum ora cèntumq; lingvas poscit decorum Purpurei Roseti GIEDROYCIANI Centifolium, latè suavissimum virtutum & meritorum spargens odorem. Pretiosa & speciosa GIEDROYCIORVM ROSA præstantiâ suâ ex vulnere Veneris natas infra se ponit, quæ toties infensis immanium hostium scarabæis mortem, dilectæ Patriæ optatam donavit salutem; verq; excedentium gaudiorum haud semel eidem aperuit. Lithavus Orbis nascentem hunc salutavit ATLANTEM. Non sola quippe Mauritania fortissimos novit mundo adferre ATLANTES; nec solus Trojanus eqvus armatas suâ complectitur alvo legiones, etiam Lithavus sonipes ad præfixam immortalis gloriæ Pegaseo cursu provolás metam, quod bellaces Heroum animas Gradivo & Bellonæ sacras ferendis grandibus orbibus pares enutriat, vel in uno ATLANTE GIEDROYCIO vitriat, vel in uno ATLANTE GIEDROYCIO videndum & mirandum. Ex magnis errore solo splédidis gentilium fide obcæcatis prodire in orbem voluit natalibus GIEDROYCIUS, ut quidquid exiguum, tenue & cœlum tangere non valens in gente sua anteacta videret, id magnitudine virtutum suarum & meritorum ATLAS hic ad stellati sedes Olympi usq; erigeret, extolleret. PRINCEPS GIEDROYICIUS, dum ad salutares sacri lavacri undas communi originalis noxæ mundaretur labe, ut se fortem futurum ATLANTEM exhiberet, cælestiũ PRINCIPIS legionum, cæci Debellatoris orci MICHAELIS nomine insignitur. Nec vano augurio: quidnamq; MICHAEL? si non fortitudo. Videte in tenel-

lis

lis nati ATLANTIS artubus Heroicam virtutem & mentem impertritam: qui antiquos malæ fidei damnaturus errores, profligaturus monstra vel ipso suo nomine clamat: QVIS UT DEUS. Ruere jam Lithavus videbatur Orbis, dum muta saxa, invisos colubros, frondosa nemora, & alia vilium creaturarũ nomina tanquam vera numina, vanâ superstitione colebat en propitij superi cadenti Lithvaniæ post illum zelosum fidei Christianæ Propagatorem JAGELLONEM, novum ATLANTEM qui suo vertice sidera tangeret, & Patrium bajularet Orbem in MICHAELE GIEDROYCIO liberali suâ providétiâ procuravere. Crevit non segni passu GIEDROYCIUS, & ut in ATLANTEM validissimum Patrio sustentando Orbi accommodum excresceret, augebatur insigni profectu in immensum probitatis. In primo floridæ ætatis vere circa tenerum MICHAELIS caput, lucidiùs quàm circa Servij Tullij tempora radiantes virtutum emicuêre flammæ. Quid enim candidum illius tersissimæ mentis ebur, gemmea sine fuco indoles, mores ad regulam recti optimè efformati, quos cuncti attoniti stupebant; quid inquam aliud commonstrabant in Eo? nisi aureos gratiarum splendores & virtutis Divinæ robur, ut inde constaret MICHAELEM infractum aliquando fore ATLANTEM. Inter hæc manifesta futuræ magnitudinis specimina non Nemesis quam suâ culpa in iram non provocaverat, sed arcanum summi Tonantis arbitrium in excelsam molem excrescentem ATLANTEM GIEDROYCIUM Omnipotente Dexterâ suâ humiliare decrevit, ut altiùs eveheret. Roseus ore MICHAEL, nectareo sermone nulli non affabilis, omnes ubiq; gratias spirans illius nutu, qui lege suâ movet sidera & tellurem medio vibrat in axe, malignante vi morbi crudelissimi ita usu pedum privatur, ut absque sustentante pedo incidere nequeat.

Maluit tamen MICHAEL ad extrema usq; vitæ suæ tempora ægro claudicare pede, quàm virtute. Nec mirum quòd fulminantes adversitatis adeò GEDROYCIUM arietent impetus; cùm (si mithiologis credere fas est) piniferum quoq; Atlantis caput nubibus atris assiduè cingitur ventoq; pulsatur & imbre. Ægris claudicans pedibus quàm rectè incedat & molesto non recedentis infirmitatis onere pressus, quàm non inflectatur ATLAS hic, in stuporem rapti advertite. Ferventissimo Divini Amoris Entheo percitus GIEDROYCIUS totus flamma in superos Seraphicis ignibus candens, vel Vesuvius alter evanida mundi blandientis aspernatur lenocinia; altissimorum fasces honorum (quibus regendis Lucina Eum destinaverat) plusquam Heroicâ mente contemnit, dulces formidolosarum syrenum cantus non audit, Ducalem de Illustrissima fronte sua deponit Mitram, Purpureum ostrum exuit, ex amplissimis Domûs suæ conclavibus ad angustias Claustri Religiosi properat. Sed quid agis Rosee PRINCEPS MICHAEL? itane GENTILITIVM Tuum FLOREM jam soli publico aufers? itane eum in Augustinianam Eremum transportas? dulci purpureæ Tuæ ROSÆ nitore mundus delectari desiderat, Cellissima DOMûs Tua fragrantissimos melioris spei á Te expectat odores. Ita est: transplantat GIEDROYCIUS GENTILITIUM suum FLOREM in speciosum Magni Magni AUGUSTINI viretum. Ne Syrio mundi voluptatum adustus calore, Purpureum aliquando exuat colorem, innocuo BB. MARTYRUM tingere eum exoptat cruore. Ne marcescat, salutaribus CANONICORUM de Pœnitentia eum lacrymarum undis irrigat. Ne astuta infernalis vertumni carpatur manu, Ipsi Cælorum REGINÆ, quæ Florem nobis Nazarenum peperit S. MARIÆ Demetri tradit custodiendum. Sanè mendacibus mundi fallentis pollicitis frangi non poterat MICHAEL quia ATLAS fortissimus.

simus erat. Hic ut in altissimũ pietatis montem excresceret nova metamorphosi, & Cælos excelso sanctitatis suæ cacumine tangeret in sacram AUGUSTINI Eremum cedit. Et certè non alibi reponi debuerat nisi inter proceras arbores vertice suo stellatas Cæli aurei tangentes sedes, Te intelligo sanctitate & sapientiâ ubiq; eminentissime Sacer CANONICORUM REGULARIUM BB. MARTYRUM de Pœnitentia Ordo. Inaccessibilem se cunctis mundi, carnisq; illecebris præbere voluit ATLAS hic, ideo inter aquarum copiam de fontibus oculorum pœnitentium defluentem consedit. Quodsi ingeniosorum vatum eruditis voluerimus adhærere commentis, in illorum pene Divinis Enthusiasmis reperiemus ATLANTEM hominem Lybicum fuisse, qui ut facilius continuò sese gyrantium cursus Cælorum assiduosq; micantium Astrorũ motus specularetur: montis illius occupare verticem consueverat, qui fatis mundo erepto ATLANTE illius perpetuo insigniri nomine promeruit. Sed abscedant hæc antiqua fabulantiũ Pöetarum somnia, verior quia Divinior noster ATLAS, ut exquisitiorẽ supremi Numinis Cælestiumq; rerũ cognitionem haberet, laurigerum Cracij Academi petijt Heliconem. Quantis tunc Jagelloneus Apollo exuberabat tripudijs? dum Lithavum Equitem Olympia sui honoris in erudita Craciæ Palladis arena instituentem advertit. Hactenus obligatus erat pro eruditionis fonte Craciæ Minervæ Polono Lithuanus Orbis; sed ab hinc obæratus erit Lithavo Orbi Noster Academus, ex quo & pientissimum suum Fundatorem JAGELLONEM, & validissimum in MICHAELE GIEDROYCIO recepit ATLANTEM. Multum debes annosa Scientiarum Mater Pallas Cracia pro Regalibus Sceptis Regiâ munificentiâ Tibi datis TUO JAGELLONI; sed nec minus GIEDROYCIO, qui nectareo TUO jam Philosophicarum, jam Theosophicarum Scientiarum enutritus

facte Te Fontem ſapientiæ Ducali ſuo Diademate coronavit: & pro Laureis eruditis victrices Domûs ſuæ Laurus apud Te reliquit. ATLAS hic ſapientiſſim⁹ Cæleſtium ſemper ſpeculator rerum novit in alta Empyrei ſede pluris eſſe Laurum Doctoralem, quàm auro & adamante corruſcantia diademata, Coronas & Sceptra. Ideoq; Laurum Doctoralem Domeſticæ prætulit Mitræ. Inclinate ergo capita veſtra certantes in acie literaria Theopompi ſub virides Apollinis Cracij laurus, ſub quas etiam PRINCIPES GIEDROYCII depoſito diademate ſua tempora ſubmiſere. Et hic viridi ornatum corymbo GIEDROYCIUM orbis ATLANTEM cùm video, ſtupendam illius vitæ innocẽtiam, incredibilem manſuetudinem aliaq; Religioſæ perfectionis decora, cùm altiori mentis indagine perpendo, quid aliud quam Atlantica opera eſſe deprehendo. Excellenti vitæ ſanctioris probitate, & ſummâ clarus doctrinâ MICHAEL, cùm ad magnitudinem ipſius excreverit ATLANTIS, ob profundam humilitatem tenuem ſe athomum dicere vix exiſtimat. Eximijs omnium fermè literarum excultus artibus, ob humilem de ſe ſenſum Divinis admoveri Altaribus, ſacerq; myſta fieri recuſat, Ipſe gratiſſima redolens virtutum thimiamate ara, & Divinis acceptiſſimum oculis Sacrificium. Hoc ſtupendum quod virtutibus magnis eminentiſſimus ATLAS, jam ad viliora opera, jam ad plantas minimorum quoq; Fratrum inflectatur. Cæleſtium aſſiduæ contemplationi rerum, acerbæq; Dominicæ Paſſionis recollectioni die nocteq; intentus, ne in opere hoc Divino à rebelli aliquando impediretur carne innocuum corpus nullâq; mortali maculatum labe aſperis cilicijs, ſanguinolentis flagellis perpetuâ ab eſu carnium abſtinentiâ alioq; aſpero mortificationis genere domat. Si viſitaſſes A. GIEDROYCIUM vidiſſes ſupellectilem cruẽtata flagella, & aculeatas catenas, certiſſimam contra rebellem carnem amatu-

armaturam. PRINCIPIS hujus lectum ipsam durissimam terram, palatium angustam cellulam ex qua tamen Cælum ATLAS hic tangebat. Nempe sicut Colossi & in puteo quoq; magnitudinem suam retinent, ita virtute potentes Atlantes etiam in angustijs augustam suam Majestatem non amittunt. Fortitudinem imperterritam ATLANTIS hujus videre desideramus? aheneum pectus in eo nullis ingruentibus cedens periculis annotabimus. Ad Dolorosam Imaginem CHRISTI pro salute nostra in pretiosa Crucis arbore appensi, & in hac sacra Æde multis indeficientibus gratijs clarissimâ dum Divino plenus amore GIEDROYCIVS jaculatorias effundit preces, en stygia cæci Erebi monstra, infernales vertumni ut ATLANTIS istius experirentur robur, jam diris eum persequi clamoribus, jam duris afficere verberibus, sed inani semper tentant conatu. MICHAEL namq; fortissimus Erebi Triumphator immanes illos spiritus pijs sacrarum orationum precibus semper vicit, prostravit, fugavit, ATLANTEMq; se imperterritum demonstravit. Quidni se talem exhiberet? cùm eum luctantem cum illo luctuoso Averni exercitu Regnans à ligno DEVS, non tantùm omnipotente dexterâ suâ juvit, sed ne in illo prælio aliquando deficeret, dulcioribus Hymetto vel Atticâ Hyblâ verbis refecit: MICHAEL *esto patiens usq; ad mortem, & recipies coronam vitæ.* O verba melliflua! o consolationem nectare vel ambrosiâ suaviorem! quâ ATLAS GIEDROYCIVS post peractum Heroicum certamen ineffabilem in animo dulcedinem, in corpore novum robur assumebat. Assurgentibus tenebrosi Orci, exundantiumq; infortuniorum procellis nec allidi, nec flecti, nec moveri potuit: tot sortitus fortissimos Alcidas pro eo etiam Cælũ bajulare paratos, quot nactus fidissimos vitæ suæ Angelicæ comites CANTIOS, LIPNICIOS, BONERIOS, CASIMIRITANOS, SVENTOSLAOS; à quibus in admiranda vitæ suæ sanctitate progressum, in mæroribus certum capiebat solatium. Narret vetusta antiquitas Atlantem tantũ cum Themide Parnassia habuisse amorẽ ut ei de ventura sorte certa oracula daret. ATLAS GIEDROYCIVS aureus Apollinis Tripos cùm voracis Vulcani immitibus flammis Ædes has sacras Vrbemq; Craci post sua fata devastaturi rabiem; & duorum infantum statum quærentibus sollicitè parentibus prædiceret, quid aliud, si non Cyrrhæa secreta novisse videbatur. Virtutum tandem præcelsarum magnorumq; meritorum cumulatus incremento, miraculorum gloriâ Vrbi Craciæ totiq; Sarmatico Orbi notissimus ATLAS GIEDROYCIVS, cùm in altum sanctitatis

ctitatis abierit montem, radiantibus caput intulit Astris; ut post ingentia rerum discrîmina perennem gloriæ triumphum ordiretur. Cælum properavit in altum, quia Heroicis Illius meritis dignam terra coronam dare non valuit. Vitam non finivit sed mutavit cumq; animam beatam supernis Empyrei donaverit sedibus terram ut seipso orbatam, mæroreq; squallentem solaretur, pretiosa illi sacri sui Corporis reliquit cymelia. Nempe ad sacros GIEDROYCII cineres, cæci visum, malignantium morborum vi fracti certam sanitatem, tristes solatium, deniq; mortui optatam vitam recipiunt.

Tuæ est decus æviternum famæ Sacra DIVI AVGVSTINI Religio. Tibi Tuoq; Sacro Instituto debet GIEDROYCIVS, quòd in excelsum admirandæ Sanctitatis & non fucatæ sapientiæ abierit montem, cælos jam ipsos incolentem. Tibi debet Polono-Lithvanus Orbis quòd Ei ruenti paratos in subsidium fortissimi hujus ATLANTIS adaptasti lacertos. Est quod Tibi disertissimi Hyperides, doctâ oris sui suavitate & rotundis periodis hodie gratulentur: quòd ad Tuam Crucem sanguine Divino rubentem, Cordi Tuo Seraphicis ignibus ardenti infixam, quam in Devoto pectore Tuo in omnium oculis gestas, etiam magni Principes Ducales suas Mitras substernant deponantve. Sub victorioso Crucis Divinæ signo decertâs Canonice Ordo omnes adversatis fortunæ cuneos vince & cor amore DEI, amore proximi plenum portans, sis amantissimo cordi tàm superum; quàm cunctorum mortalium semper & ubique præsentissimus. Tibi verò ultimo cum voto vectigalis quoq; mea occurrit Oratio Divinissime MICHAEL GIEDROYCI. ATLAS es fortissimus, ergo Christianum Orbem ruentem alto à culmine: Tuumq; Patrium afflictæ Lechiæ Regnum, discordiâ & insolentibus cruenti Gradivi armis labefactatum, ultimæque propè vicinum ruinæ potenti gratiosæ protectionis Tuæ lacerto fulcias reddasq; à metu & ulteriori bellorum motu securum. Annosæ scientiarum & Sanctitatis Parenti, Iagellonicæ Minervæ; Craciæq; huic Vrbi Vndecimum Sæculum agenti, ne senio graves fatiscant validissimos suppone humeros; ut ab omnibus Fortissimus Fracti Poloni Orbis ATLAS habearis, Qualem ego Te esse Dixi.

PERMISSV MAGNIFICI DOMINI

RECTORIS.

